



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXXIV. De Purgatione Canonica.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

am in studiorum Universitatibus degen-  
tes, visitare, corrigere & si deliquisse  
comperiantur, punire iidem possunt, ex  
decreto Trident. *Sess. 6. cap. 3. de Ref.*  
iunctâ S. Congreg. Cardd. declaratione,  
relatâ à Barbofa n. 14. & Tamburin. n. 7.

103. Decimononò, in Causis mercedum  
sive stipendiorum operariis debitorum &  
miserabilium personarum, puta vidua-  
rum, orphanorum, senio vel diuturnò  
morbò laborantium, pauperum: super  
quibus debitores Regulares, extra Mona-  
sterium degentes, apud Episcopum loci  
Ordinarium conventi, ad solutionem  
compelli ab eo possunt, ex decreto ejus-  
dem S. Concilii *Sess. 7. cap. 14. de Ref.* etsi,  
quando intra claustra degunt, coram su-  
periore suo Regulari sint conveniendi,  
*citt. Barbofa n. 21. & Barbofa n. 8.*

104. Vigesimo, adversus eos Episcopi et-  
iam censurarum comminatione proce-  
dere possunt, quando importunas & illi-  
berales eleemosynarum exactiones faci-  
unt; ut à turpi quæstu non multum absint:  
uti & si horis non debitis, vel in Orato-

riis privatis Missas celebrent: nisi super  
hoc privilegiò Apostolicò sint muniti,  
vigore Trident. *Sess. 22. decretò de Cele-*  
*bratione Miss. ubi Barbofa n. 2. 21. & 25.*  
Laiman. *de Jurisdic. Ordin. cap. 6. n. 116.*  
& Pirrhing *Lib. 1. Tit. 31. n. 114.*

Vigesimò primò, quando obtinen- 105  
tes parochias, non exemptas, negligentes  
sunt in populo, Verbi Divini prædicatione  
pascendo diebus Dominicis ac Festis, aut  
prædicandò disseminant scandala & erro-  
res, *citt. Sess. 5. cap. 2. de Ref. ubi aliis DD.*  
*citt. Barbofa n. 24.*

Vigesimò secundò, si in publicis con- 106  
cionibus, lectionibus & aliis quibuscun-  
que actibus publicè asserere audeant, Bea-  
tissimam Virginem in Originali peccato  
conceptam esse, ex Decreto S. Congreg.  
S. & Universalis Inquisitionis, habitæ in  
palatio Apostolico coram Paulo V. 31.  
Augusti 1617. Piores hujusmodi casus  
artigimus in hujus Operis decursu & ma-  
gnò numerò congestos dabunt DD. *citt.*  
& Fagnanus in c. *Grave cit. à n. 37.*



## TITVLVS XXXIV.

### De Purgatione Canonica.

#### SUMMARIUM.

1. *Istâ reus ostendit suam à crimine in-*  
*nocentiam,*
2. *Aut immunitatem à macula vel de-*  
*fectu:*
3. *Olim per iudicium S. Crucis.*
4. *Juramentum ad Sanctorum Reliquias*  
*vel sepulchra.*
5. *Vel S. Sacramenti Eucharistie sus-*  
*ceptionem:*
6. *Hodie per proprium & compurgato-*  
*rum juramenta peragitur,*
7. *A personis, quas bona fama esse, publi-*  
*cè interest.*
8. *Compurgatores esse debent honeste*  
*vicinæque,*

X y a

g. Et

9. *Es fere ejusdem cum purgando ordinis persona.*
10. *Purgatio non indicitur, quando crimen est notorium.*
11. *Idque, vel innocentia aliter probari potest.*
12. *Neque etiam, nisi personis diffamatis aut graviter suspectis.*
13. *Juramentum purgandi Veritatis, compurgatorum Credulitatis est.*
14. *Purgatio Canonica justà ratione nititur.*
15. *Et variis casibus adhibita fuit.*
16. *Rite peracta tres effectus habet.*
17. *Non iteratur, nisi nova infamia superveniat.*
18. *Vel purgatus absolutus sit sub conditione.*
19. *Vel perjuri redarguatur.*
20. *In ea deficiens convicti instar habetur & puniitur.*

**H**actenus de variis Excessibus ac delictis: quorum reis poenae infligendae non sunt, nisi de iis legitime & indubitate constet, *l. fin. C. de Probat.* Iis verò, qui de crimine graviter quidem diffamati aut suspecti sunt: de iis tamen, accusatore vel probationibus deficientibus, convinci non possunt, indicenda à iudice competente est Purgatio, sive suae ab objecto crimine innocentiae ostensio, *can. Si mala, 2. q. 5. c. Nos inter 10. junctà Glossà V. Deficientibus, c. Cum dilectis 15. hanc Rubr. ubi Hostiens. in Summa n. 2.*

Neque à crimine duntaxat, sed quandoque etiam à maculâ, defectu, aut impedimento, v.g. promotioni ad Ordines & beneficia Ecclesiastica obstanti, immunitas, purgatione indicitâ, ostenditur: sicut factum in casu *c. Accedens 14.* ubi à Diacono, ad Presbyteratum aspirante, & super defectu natalium ab æmulis disfa-

mato, super infamia ista purgationem recipi, Innocentius III. praecepit, *Glossa in c. cit. V. Purgatione & Panoemit. n. 1.*

Est autem Purgatio duplex. Una Canonica praesenti: altera Vulgaris proximè sequenti titulo declaranda, Canonica, sic dicta; quòd sacris Canonibus prodita vel approbata sit, pro temporum & locorum etiam varietate variè: & olim quidem triplici modò fiebat. Primò, per iudicium sanctae Crucis: idque vel per sortes sive tesseras, ad illam jaci, vel altari, Cruce insigni, imponi & post varias preces inde extrahi solitas: vel per nocturnas & sine lapsu diu continuatas ad illam stationes: vel denique & frequentius per juramentum ad sanctam Crucem, vel per eam, eave contactâ, praestitum, Rainaudus *de Calumnia f. 3. cap. 2. q. 2.* & Gretlerus *Lib. 2. de Cruce, cap. 16.* Secundò, per juramentum, tam ab accusatore, quam à reo praestitum ad sepulchra vel Reliquias sanctorum Martyrum, *can. Habet 6. can. Moniam 7. can. Quanto 8. c. q. cit.* eorum praesertim, qui miraculorum editione inclaruerunt; horum enim praesenti virtute reorum crimina aut innocentiam detectam, & perjuriam celerè ultione palam vindicata, SS. PP. testantur apud Baronium *ad Annum Christi 412. à n. 29.* & Gonzalez *in c. Recepimus 16. n. 6.* Tertiò per susceptionem sanctissimi Sacramenti Eucharistiae, aut celebrationem Missae, *can. Sape 20. c. can. fin. q. 2. cit.* adhiberi olim solitam, non ad extorquendum à Deo miraculum, sed in testimonium innocentiae; quòd neminem, sibi objecti criminis consciù, SS. Christi Corpus & Sanguinem in iudicium & condemnationem sumere ausurum, praesumeretur, praesertim si, ut aliquando fiebat, adhiberentur imprecationes repentini interitus, secururi ex temeraria sumptione, Gonzalez *in c. cit. n. 5.* Atque hòc modò Grego-

Gregorius VII. Simoniam per calumni-  
in simulatam, publicè se purgavit coram  
Henrico III. & vicissim apud hunc insti-  
tit; ut, si innocentem se crederet, de  
probris sibi objectis per sanctissimi Sacra-  
menti sumptionem se purgaret: sed ab  
Imperatore, Lotharii & aliorum, cum  
mala fide id in suam perniciem temerè  
ausorum, exemplò & celeri interitu de-  
territò non obtinuit, ut ex Sigeberti  
Chronico Anno 870. & Baronio ad An-  
num 1077. idem Rainaudus refert q. 3. pr.

Huiusmodi Purgationibus, fide-  
lium in Deum & Sanctos fiducià sensim  
deficiente, & Religione in superstitionem  
degenerante, cum tempore sublati-  
s, suspecta per sacros Canones est Pur-  
gatio per juramentum: quod criminis a-  
licujus per viam accusationis aut denun-  
tiationis insimulatus, aut de eo publicè  
diffamatus, vel graviter suspectus, ta-  
ctis Evangelii, in sui purgationem præ-  
stat: seque ejusmodi crimen non com-  
mississe, Deò in testem vocatò, affirmat  
ipse, & cum eo compurgatores, hoc  
est, tres, quinque aut, si personæ qua-  
litas, vel objecti criminis gravitas posce-  
ret, plures ejusdem ordinis ac status,  
vel in istarum defectum alià honestà, hoc  
est, bonæ existimationis & fide dignæ  
personæ pariter juratæ deponunt, se cre-  
dere, eum verè jurasse; ac proinde im-  
positi criminis falsò insimulatum, can.  
Quoties 2. q. 5. c. Licet 14. de Accusat.  
c. Quoties 5. c. Cum P. 7. c. Inter 10. & c.  
fin. hic, Decianus Tract. Criminal. Lib.  
5. cap. 48. n. 4. pro cujus declaratione

Rectè DD. notant primò, Purga-  
tionis juramentum, licet à sacris Canoni-  
bus approbatum sit, indicendum tamen  
non esse, nisi personis, quarum fama  
& existimationis integritas Christiano  
populo valde necessaria est: ut sunt Epi-  
scopi & alii Prælati, Prædicatores verbi

Divini, Sacerdotes & alii viri aliàs ho-  
nesti ac fide digni, etiam laici, arg. c. 1.  
viles autem ac plebeios homines de cri-  
minibus, quorum plena probatio haberi  
aliter non potest, accusatos, diffamatosve,  
aut graviter suspectos, quæstionibus subji-  
ciendos per torturam, cum; quòd tales  
non facillè inveniunt compurgatores: tum  
propter periculum perjurii, Farinac.  
Prax. Criminal. q. 94. cit. n. 64.

Secundò, compurgatores, quorum  
numerum arbitrio & prudentiæ judicis  
permisum, cenfet Panormit. in c. 1. cit. n.  
1. Decianus cap. cit. n. 12. esse debere, ait,  
personas, non solum honestas, sed etiam  
vicinas & tales, quibus purgandi vita  
& mores perspectos esse, præsumi potest  
c. Cum P. cit. & c. Cum dilectus 11. ubi  
Glossa, V. Vicina & Panormit. l. cit. Ra-  
tio est; quia compurgatores deponere  
debent de credulitate super vita & mori-  
bus pro tempore non solum præsentis, sed  
præterito quoque, ut liquet ex c. Inter  
10. verbis, Qui conversationem & vi-  
tam ipsius, non tam modernò tempore no-  
verint, quam transactò: de vita autem,  
conversatione & moribus præsentibus ac  
præteritis verè testimoniù perhibere præ-  
aliis possunt personæ vicinæ, & inter  
quas purgandus est versatus; cum vicini  
conditionem & qualitatem perspectam  
habere, præ aliis præsumantur, c. Quo-  
dam 7. & c. Quanto 8. de Præsumpt.  
Glossa in c. Cum dilectus 11. V. Vicina, ubi  
Panormit. n. 1. Felinus in c. Literis 12.  
de Præsumpt. n. 2. & 5. & Menoch. Lib.  
6. præsumpt. 24. n. 12.

Quantumvis autem c. Inter cit. V. 9.  
Attendentes, exigantur compurgatores e-  
jusdem ordinis cum purgando; ut, si iste  
Episcopus vel presbyter, ipsi quoque ta-  
les sint, casu tamen, quò tales deside-  
rantur, vel purgandi sunt inimici, etiam  
inferioris ordinis clerici, can. Ex tuarum  
8. & c.

8. & c. *Cum in juventute* 12. & his deficientibus, honesti laici, imò & foeminae admitti possunt, *Glossa fm. in c. cit. & cit. Hostiens. n. 5.* Quin, si extraneus & in purgationis loco ignotus clericus purgandus sit, ut idonei compurgatores nec clerici nec laici haberi possint, & legitimae criminis probationes deficiant, eum proprio suo juramento purgandum, cum *Glossa fm. in c. Cum P. cit. & Panormit. in c. Inter cit. n. 7.* notant Decianus *cit. cap. 28. n. 26.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 28.*

10. Tertiò, eam nunquam indicendam super crimine notorio, *c. Cum dilectio cit.* quia notoria non indigent probatione: imò nec accusatione, *can. De manifesta. 2. q. 1. & c. Evidentia 9. de Accusat.* Quare, cum clerici fornicatio, adulterium, vel incestus ita notorius est, ut ullà tergiversatione celari vel prae-textu excusari non possit; quòd ejusmodi criminis commissi populus universus, istiusve major pars testis esse possit, iudex ad impositionem poenae sine alia inquisitione procedere ob solam notorietatem potest, *Panormit. in c. cit. n. 4. Menoch. de Arbitr. casu 166. n. 4. & Farinac. Prax. cit. q. 21. n. 11.*

11. Quartò, eadem indicenda etiam non est, quando infamatus aut graviter suspectus aliter convinci, & institutà actione per testes & alios legitimos modos plenè probari crimen, aut innocentia ostendi potest, *c. Si quis 2. c. Quoties 5. c. Extraneum 8. & c. Inter 10. ibi, Accusatore & testibus deficientibus;* quia purgatio in aliarum probationum subsidium est introducta, *Innocent. in c. Nos inter 6. Sylvester V. Purgatio, n. 2. & Decianus cap. cit. n. 10.*

12. Quintò, neque etiam, si praecedens infamia & suspicio non verisimilis aut levis sit; quia Jura exigunt verisimilem,

*c. Si quis 4. & vehementem c. Inter 10. V. Attendentes,* quòd textu purgatio indicenda asseritur propter vulgatam infamiam, grave scandalum & vehementem suspicionem, *Hostiens. & Sylvester 1. cit. solummodo tamen,* cum quis de crimine vel macula publicè, praesertim apud bonos & graves viros infamatus, vel graviter suspectus est, & deficiunt illius & innocentiae sufficientes probationes, *c. Moniales 3. Farinac. Prax. cit. q. 187. n. 72. & q. 194. n. 45. & 56.*

Sextò, juramentum ejus, cui purgatio indicitur, ut ista Canonica sit, esse debere Veritatis, sive quò asseveret, objectum crimen à se post suam promotionem non esse commissum: neque sufficere, si asserat, se à crimine esse immunem, *c. fm. cum in foro Conscientiae jam absoluto indici valeat propter infamiam, peractà poenitentia remanentem, §. Hinc colligitur, post can. Euphemium, 2. q. 3. & purgationis remediò tollendam, Glossa in c. fm. cit. V. Commississe, ubi Panormit. n. 2. & cit. Pirrhing n. 18.* Contrà id, quòd compurgatores praestant, non Veritatis; ut crimen ab eo, de cujus purgatione agitur, nunquam admittam: sed Credulitatis solummodo esse debere; ut, ab eo verè juratum; ac proinde objectum crimen non commissum, se credere asseverent, *c. Quoties cit. c. Constitutus 9. c. De testibus 13. & c. fm. cit.* propter periculum perjurii, quòd subirent, si veritatis juramentum defacto praestarent, *Glossa in c. De testibus cit. V. Credant, Panormit. in c. Quoties cit. n. 2. & cit. Pirrhing n. 30.*

De haecenus declarata Purgatione, quomodo indici valeat, dubium & ratio dubitandi non levis est; quòd, licet in causis Civilibus, in defectum plenae probationis, reo, & aliquando etiam aetori deferri possit juramentum, *c. fm. §. Sanè*

§. Sanè & l. Admonendi 31. ff. de Jurejurando, id tamen locum non habeat in Criminalibus: in quibus, auctore non probante, reus videtur absolvendus, *can. fin. 6. q. 5. §. Sanè cit. c. Unico, V. Cum enim Juris, Ut benef. sine dimittit. l. Est & decretum 25. ff. de Jure Fisci §. l. Qui accusare 4. C. de Edendo.*

Sed, eam præscribendi & Prælati cæterisque clericis, & quandoque etiam laicis, publicè infamatis, suspectisque indicendi, iustissima causa fuit; quòd latius sit, ejusmodi personam infamatam canonicè purgari, vel convinci, quàm manere suspectam: idque non solum; ut exortum in populo Christiano scandalum per declarationem innocentiae à crimine, vel commertam istius penam tolleretur; sed etiam; ut infamato suspectoque clerico honor & exultatio in discrimen adducta conservaretur aut restitueretur.

15. Engel ad hanc Rubr. n. 2. Ob quam causam Sophiam Reginam à stupri infamia juramentò, à se & septem honestis viris præstitò, purgatam, Cromerus *Histor. Polon. Lib. 15.* similique modo varia crimina à Pelagio, Damaso, & aliis Ecclesiæ, omnique humana potestate superioribus, Antistitibus depulsa, Anastasius in eorum *Vitis* refert: itaque testibus Engolism, & Sangali. Monachis in *Vita Caroli M. Leo III.* coram primo hoc Occidentis Imperatore ejusque aula, presentibus etiam calumniatoribus, purgatus est, cum in Basilica S. Petri, ambone conscensò, & postis super caput suum Evangelii, & duodecim Episcopis compurgatoribus adhibitis, *can. Omnibus, 17. cit. q. 5.* jurasset in verba, *Sic in die magni judicii sum particeps Evangelii, sicut immunis sum criminis falsò mihi ab illis objecti.* Similes purgationes per juramenta, aliò atque aliò ritu præstari solita apud Longobardos, Francòsque

invaluisse, & apud alias gentes usu receptas fuisse: earumque fortassis exemplò hæcenus declaratum, calumniosè impa-cta crimina depellendi & Christiani populi offensiones tollendi, Canonicam solennitatem ab Ecclesia præscriptam, existimat & perquam eruditè ostendit Gonzalez in *c. fin. cit. n. 6. & 7.*

Neque ejus justitiam convellit, aut ancipitem reddit adversus eam adducta ratio, cum; quia, licet in Criminalibus Juris conclusio sit, quòd, auctore non plene probante, reus sit absolvendus: quòd istius partes favorabiles, *l. Absentem 6. ff. de Pænis;* & propterea accusator, intentionem suam plus quàm semiplene non probans, si in probationis supplementum ad jurandum admitti petat, non audiatur, teste Claro *§. fin. q. 63. n. 1. & verisimilius etiam id reo deferre non permittatur, Gonzalez in c. fin. cit. n. 9.* rectè tamen, si causa dubia sit, propter infamiam & scandalum, reo juramentum defertur à iudice, *Aurb. Sed novo, C. de Pena jud. qui malè jud. Mascard. de Probat. conclus. 858. n. 39.* præsertim Ecclesiastico, secundùm *Rubr. & textus hic,* à quo vindicta sanguinis non exercetur, *c. Sententiam 9. Ne Clerici vel Monachi.*

16. Porro Canonica purgationis effectus tres præcipuè sunt. Primò enim eà legitime peractà is, cui indicta est, absolvendus est à suspensione, si ista propter objecti criminis vel ortæ ex eo infamiae aut scandali gravitatem ab initio inflicta fuit, *c. Ex tuarum & c. Inter cit. Sylvester V. cit. n. 7.* Secundò, idem ab objecto crimine sine mora absolvendus, declarandus innocens & in pristinum statum restituendus est, *c. Habet 6. & can. Menam cit. q. 5.* Tertid, vir boni testimonii declaratur, *c. Ex tuarum cit.* itaque tollitur infamia & redintegratur honor atque exultatio apud homines, præsertim

præsertim (in crimine successivo) si vitam bonis moribus adornet; ut omnis ab eo suspicio ex proborum & honestorum hominum mentibus deleatur, *c. Inter cit. in fine. Sylvester l. cit. Farinac. cit. q. 194. n. 44.* Unde

17. Dubium oritur, an ritè peractâ Purgatione, absolutus super eodem crimine denuo possit accusari. De quo DD. variè; & qui melius sentiunt, adhibent distinctionem; vel enim, eâ peractâ, nova criminis infamia secuta est, vel non? Si prius, ei, quantumvis jam canonicè purgato, aliâ innocentia probatione deficiente, novam purgationem indici: & si priorem purgationem accusatio non præcessit, & accusare volentibus terminus non est præfixus, eum de novo accusari & legitimè convictum secundùm sacros Canones puniri posse, censent cum Hostiensis *l. cit. n. 6.* & Panormit. *in c. Ex tuarâ 8. cit. n. 5.* ubi rationè reddit; quòd hujusmodi purgationem secuta absolutio fuerit facta per probationes non integras; cum compurgatores solummodo juraverint de credulitate: quando autem absolutio ex probatione non integra facta est, novæ accusationi sit locus, per *l. Admonendi cit.* & ab ipso notata *in c. fin. de Jurejurando n. 7.* Si posterius, novæ accusationi ex infamia, purgationis juramentum præcedente, locum regulariter non esse, cum Glossa *in c. Menanam cit.* tradit Hostiens. *cit. n. 6.* cum; ne de ejusdem hominis delicto sapius queratur, contra *l. Licet 6. ff. Nauta, caupones &c.* tum verò; quòd jusjurandum non minoris autoritatis sit, quàm res judicata, *l. Jusjurandum 2. ff. de Jurejurando:* quæ habetur pro veritate, *Reg. 207. ff. de R. I.*

18. Neque huic obstat; quòd *can. Menanam cit.* Episcopo, coram Papa purgato, nova purgatio indici sit permissa; quia,

ut ibi Glossa *fin.* notat, Menas à Papâ absolutus fuit sub conditione: nisi po- stea compareat accusator, vel nova infamia oriatur: vel; quia ob quandam necessitatem à Papa absolutus fuit eâ conditione, ut se etiam purgaret apud Reginam; quòd apud hanc quoque, & prius esset infamatus, Turrecremata *in can. cit. §. Tertia questio.*

Excipiendi etiam sunt casus, qui- bus accusator suam aut suorum injuriam prosequeretur, *l. Si cui 7. §. 2. ff. de Accusat.* vel doceret, priorem accusatorem prævaricatum, *l. Prævaricationis 3. §. 1. ff. de Prævaricat.* vel infamatum ad sui purgationem pejerasse, probaret, *l. Admonendi cit.* his enim casibus novam accusationem admittendâ, cum Goffredo *in l. fin. C. de Reb. Credit.* tradit Hostiens. *in c. fin. cit. n. 6.*

Demum, in indicâ sibi purgatione, quòd compurgatores, qui pro iplo jurare velint, non inveniat; & multò magis; quòd jurare ipse recuset, deficiens habetur pro convicto, & poenâ ordinariâ ple- cti potest; ut, si de crimine per legitimas probationes convicto depositionis aut privationis poena Jure esset infligenda, ipse deponi, vel officio, aut etiam be- neficio privari possit. Mitiùs tamen ar- bitrio judicis temperatur, præsertim, si crimen per viam denuntiationis vel in- quisitionis in judicium sit deductum, *cit.* Hostiens. *n. 7. in fine.* Ratio horum est; quòd præsumptio verisimilis, quæ orta est ex infamia, reò in purgatione defi- ciente, transeat in violentam: ex qua ad condemnationem procedi posse dictum est *Lib. 2. Tit. 23. à n. 24.* præsertim à giudice Ecclesiastico: à quo inflicta poena, tam ordinaria quàm arbitraria, non est mortis vel mutilationis, *cit.* Pirrhing *n. 37.*